

DISPUTATIO THEOLOGICA

De

GUBERNATIONE;

Et quidem

- 1 *In genere,*
- 2 *In specie, quoad creaturas non-intelligentes:*
- 3 *Communiter, quoad intelligentes:*
- 4 *Peculiariter, quoad Angelos.*

Quam

SUB DEI AUXILIО, ET PRASIDIO


REVERENDI ET DOCTISSIMI VIL
RI, DN. MATTHIÆ MARTINII, S.S. THEO-
logiæ in illustri Scholâ Nassovicâ-Herbornensi profes-
soris ordinarii, præceptoris sui reverenter hono-
randi, publicè examinandam exercitii

gratiâ proponit

JOHANNES GAULIUS Solitariensis, Hanovicus.

Horâ locoq; solitis.

Ad diem Januarii.



HERBORNE NASSOVIORVM

Ex officina Christophori Corvini.

ANNO 1605.

PRUDENTISSLIMIS, CONS
ULTISSLIMIS, RERUM Q. EX-
PERIENTIA EXCELLENTISSL
MIS VIRIS:

D. GUILIELMO STURIONI U. J. D. Illustris ac Generofl
simi Domini, Domini Philippi-Ludovici Comitis in Hanavv &c.
Consiliatio dignissimo & vigilantissimo:

D. ARPOLO PRÆTORIO eidem Illustri Comiti à consiliis
& secretis intimis:

D. Mæcenatibus ac patronis observandis.

RECOGN
DOCTRINA, PERITIA TYPOGRA
PHICI ARTIFICII, ET INDUSTRIA IN
EO ORNANDO ET EXCOLENDO, CELE
bribus viris:

D. JOHANNI SAURIO apud Francofurtenses.


D. CHRISTOPHORO CORVIN O apud Herbornenses.

D. GUILIELMO ANTONIO apud Hanovienses.

D. fautoribus & amicis honorandis:

Hasce theses in debitæ gratitudinis, obser
vantia, honoris & amoris ~~remuneracion~~
offert & inscribit

RESPONDENS.



DISPUTATIO V.

De

GUBERNATIONE DEI.

THEISIS I.

Superior disputatio fuit de creatione, quâ Deus res, quæ antea non uerant, esse fecit: sequitur Gubernatio, quæ in symbolo Apostolico etiam sub illa creationis voce continetur. Quum enim dicimus, nos credere in Deum creatorum cæli & terræ, intelligimus, Deum omnia condidisse. & quæ adhuc oriuntur, condere, omniaq; suâ providentiâ, id est, secundum definitum & immutabile propositum suum gubernare, seu omnia ex voluntatis suæ consilio agere.

II.

Nec enim est Deus ut architectus, qui domum aut navem à se factam construam; aliis relinquit vel evertendam vel dirigendam, ejus curâ depositâ; sed quâ potentia omnia semel condidit, eâdem illa gubernat ac tuerit.

III.

Hinc Joh. 5. v. 17. Christus ait: Pater meus usq; adhuc operatur: id est, operatur inde ab initio rerum creatarum, usq; ad hoc temporis momentum, continuo actu, res creatas gubernando, ac nova individua specierum antè creatarum porrò creando.

IV.

De Gubernatione autem agemus eo ordine, quo de creatione factum: ita scilicet, ut ejus definitionem & distributiones evolvamus.

V.

Gubernatio igitur est actio, quâ Deus res creatas regit: id est, omnes & singulas earum secundum æternum, sapientissimum atq; immutabile suum decretum ita movet, ut vel ea individua, quæ primâ creatione fecit, in statu suo conservet, vel immutet secundum substantiam aut accidentia, aut immutari sinat; vel ex certis quibusdam nova individua creet, creatis autè similia. Atq; ita statuimus, nihil fieri sine Deo agente; qui aliquid producit aut *καὶ δύοτιν*; id est, secundum beneplacitum ordinatio; aut *καὶ διηγομέτων* seu *καὶ οὐσιών*; id est, secundum dispensationem extraordinariè, quâ res creata aut *βελτίζεται* aut *ἐλαττίζεται*, id est, aut in statum meliorem transferatur, aut etiam in altiorem effertur, idq; vel in perpetuum vel ad tempus; aut ad tempus destinatum in humiliorem desertur; aut denique aliquid permittit, unde aliquid *καὶ συζητεῖται*, id est, permissu divino existere dicitur. Ista quum dicto modo distinguuntur, tamen terendum est, quod omnia, quæ Deus agit aut permittit, agat aut permittat, quia ita ipsi visum est; id quod est *καὶ εὐδοκίαν*.

VII.

Quòd autem Deus omnia gubernet, patet primò ex his scripturæ dictis. *Nehem. 9.v.6. Psal.104.v.139.147. Matth.10.v.29.30. Luc.12.v.6.7. Exod.21.v.13. Act.17.v.28. Rom.11.v.36.1. Corin.12.v.6. Ephes.1.v.11. Hebr.1.v.3.*

VIII.

Deinde, si Deus mundum non gubernaret, id aut ex eo esset, quòd id nesciret; aut non posset; aut non vellet. At omnia novit; & est omnipotens; creaturæ verò omnes sunt opera manuum Dei, atque ita bonæ: unde, quatenus tales, à Deo astantur.

VIII.

Quum autem dico, quòd Deus res creatas regat, sciendum est, quòd Deus toti huic universitati rerum ita præsideat & præsit, ut singulas ejus partes, etiam eas, quæ videri possent vilissimæ, ita gubernet, ut sine ejus nutu non pergant esse, nihil habent, nihil agant aut patientur. *Exod.4.v.11. Proverb.16.v.ult. Matth.6.v.30. & cap.10.v.29.30. Psal.34.v.21. Psal.104. Psal.56.v.9. Psal.135.v.7. Psal.147.v.9.*

IX.

Præterea, per creatas res intelligo creature cum omnibus suis accidentibus quomodo cunq; dictis, & undecunq; sint, sive à Deo sint, sive non. Nam accidens movetur cum substantia. *Esa.45.v.7. Amos 3.v.6. Genes.37.v.28. collato cum cap.45. v.5. 7.8. Exod.7.v.6. 2.Sam.12.v.11. 1.Reg.22.v.23.*

X.

Nec verò hinc concludendum est, Deum esse autorem peccati, si id gubernet, quia malum bene potest gubernari, & *āntr̄ḡv.* id est, inordinatum sapienter ordinari, ut gubernator & ordinator minimè sit auctor seu causa illius *āntr̄ḡv.* Deus enim malitiam non instillat ulli^a, peccatum non suadet, nec mandat; nec ad peccandum quenquam cogit; & malos sua iporum conscientia propriæ convincit perversitatis *b*, odium verò suum in peccata testatur ultione, *Psal.5.v.5.6.* Etsi autem à Deo non sit illa naturæ aut actionis *āntr̄ḡv.* est tamen ipse auctor illius subjecti, in quo malum est, quod ipsum subjectum est bonum: & motum illum, quo homo aut angelus ad malum fertur, suis limitibus sapienter & potenter circundat, ut nec citius nec seriùs existere, nec diutiùs durare, nec longius, latius aut altius evagari possit, quamvis ipsi visum est: ac denique quicquid mali permittit, ad eum bonum finem dirigit ac deducit.

a Jacob.1.v.13. b Matth.27.v.4. Genes.45.v.3. & cap.42.v.21. c Genes.45.v.5. 7. & cap.50.v.20. Proverb.16.v.4. Exod.9.v.16. Rom.9.v.17. Rom.8.v.28.

XI.

Sicut equus incautè eundo vitium claudicationis sibi contrahit in pede: & cùm ante illud vitium claudicationis, tum in eo ipso casu, tum post eum, sellor fræno eum flectit & regit quòd vult, atque ita progressionis in via, non autem clauditatis auctor est: ita Deus regit angelos & homines, qui incautè agendo in peccatum incident, quod tamen peccatum terminos à Deo præfixos prætergredi nequit. Secus si esset, quid fieret de nobis; nisi, inquam, termini esent à Deo fuori impiorum hostium positi?

XII.

Sed si omnia à Deo reguntur, videtur tolli libertas voluntatis? Resp. Deus mouet omnes

¶ et omnes res secundum naturas ipsis insitas; atque ita etiam relinquitur voluntati sua naturalis libertas, quā sit, ut, quicquid vult, sponte & non coacte velit. Hoc ut intelligatur plenius, tenendum est, quod aliae causae sint per se definitae ad certa effecta, quae illae causae non possunt non producere; ut quae & quatenus agunt naturam, non autem consilio: aliae autem sint indefinitae per se, quae aliquid possunt efficere, & possunt etiam non efficere, ut, quae agunt consilio, quatenus consilio, velut angeli & homines. Horum tamen contingentes actiones, Dei providentia, fortiter à fine ad finem pertinente, utiliter disponuntur, ita, ut suo tempore ad certos effectus, manente illorum naturam, destinantur. Sic Christus mortuus est liberè & contingenter, respectu sui, quia poterat etiam non mori: at necessariò respectu providentiae Dei, quae hoc ordinaverat.

XIII.

Cæterum Deus non omnia eodem modo gubernat; sed quædam a immediata, hoc est, sine administris, quædam b per media ordinaria, ut creaturas: quædam etiam c præter & supra media ordinaria, ut ostendat libertatem suam, & nos doceat media non contempnere.

a Genes. 2. v. 5. Deut. 8. v. 3. Matth. 4. v. 2. 3. 4. Exod. 34. v. 28. 1. Reg. 19. v. 8. b Psal. 103. v. 20. 21. 2. Reg. 6. v. 17. Job. 2. v. 7. Ezech. 1. v. 4. C. Psal. 8. v. 7. Genes. 45. v. 4. Jerem. 25. v. 9. Act. 27. v. 31. 1. Reg. 17. v. 2. 2. Reg. 2. v. 24. c Exod. 16. v. 13. C. Exod. 17. v. 5. C. seqq.

XIV.

Idecirco Gubernatio est duplex: ordinaria, quæ usitata, solita & consueta: vel extraordinaria, quæ insueta & inusitata, insolita & rara nominari potest.

XV.

Ordinaria Gubernatio est, quā Deus creaturas regit, secundum ordinem primâ creatione constitutum, per ordinatas causas.

XVI.

Extraordinaria est, quæ sit præter fixum illâ creatione ordinem.

XVII.

Ex hac diversa Gubernatione opera Dei alia dicuntur ordinaria; alia extraordinaria.

XVIII.

Ordinaria, alia sunt καθ' φύσιν, in natura secundum ordinem creationis, de quibus hic agimus: alia καθ' τάξιν, i.e. regulam, seu σύνταγμα, in Ecclesia secundum ordinem verbo sanctum & institutum, de quibus alias agendi locus erit.

XIX.

Extraordinaria, alia sunt ἀπέρ φύσιν, supra naturam ordinem & vires: alia ἀπέρ τάξιν, supra ordinem ministerii in Ecclesia.

XX.

Phrases hinc distinguamus. Tò καθ' φύσιν, id est, secundum naturam dicitur id, quod eam constituit aut conservat: τò ἀπέρ φύσιν, id est, supra naturam dicitur id, quod est novum quidem & inusitatum, nec tamen corruptit aut destruit τò καθ' φύσιν. Tò

παρὰ φύσιν id est, præter seu contra naturam est id, quod corruptit τὸ φύσης φύσιν; ut est malum culpæ, aut pœna.

X XI.

Ad extraordinaria Dei opera pertinent miracula. Miraculum autem propriè & verè dictum, est opus gubernationis; quod totius naturæ creatæ vim excedit. Atque ita miraculum non est secundum naturam vel ordinem verbo Dei institutum, sed est insuetum naturæ, hoc est, tale quid quod creature, vel per suas, vel etiam aliarum creaturarum innatas virtutes nostra possunt efficere. Nec tamen etiam miraculum est contra naturam, aut ordinem illum verbo Dei institutum, quia nec essentias rerum perimit, aut species totas, nec ordinem naturæ vel Ecclesiæ proprium abolet.

X XII.

In nullo unquam miraculo observatum est, quod subiectum aliquod sic redatum fuerit in nihilum, ut penitus esse desierit: nec quod actu aliiquid fuerit, idemque simul eodem tempore non fuerit. Aqua, quam in vinum vertebatur, non interiret, nec esse desit, scilicet potentiam, etiam si actu aqua esse desierit. Ubi formæ mutantur, materia superficies est, quæ retinet potestat recuperandi priorem actum. Quicquid creatum est, tale est, ut possit ex quoconque fieri quodlibet, respectu omnipotentie Dei, qui potentiam obedientiarum, quam dicunt, solo nutu in actum potest educere.

X XIII.

Ex dictis patet, quod non omnia mirabilia & mira opera, dicenda sint miracula. Nam sepe miramur aliquid, quando effectum videmus & causam ignoramus, vel modum in agendo non aequimur: etiam si illud secundum naturam fiat factumve sit.

X XIV.

Planum est etiam, quod miracula edere non sit, nisi ejus, qui est supra omnem naturam, nempe filius Dei. Nam nulla causa naturalis (ut est omnis creatura) est supra omnem naturam. *Psal. 72. v. 18. Job. 3. v. 2. Job. 9. v. 32. 33. Rom. 1. v. 4. Act. 3. v. 11. 12. 13. 14. 15. 16.*

X XV.

Quod autem etiam creaturarum ministerio uti solet Deus ad miracula edenda, sciendum est, Deum uti eis *a*, ut instrumentis, non quasi suam *b* ipse virtutem seu omnipotentiam eis communicet, sed quod homines aut angeli tantum externa quædam agant, aut signa adhibeant, circa quæ Deus omnipotenter suæ actione est efficax.

a Exod. 17. v. 6. 2. Reg. 4. v. 34. 35. Act. 3. v. 6. 7. 12. Act. 19. v. 11. 12. Act. 20. v. 9. Act. 28. v. 8. 9. b quia omnipotens est ipsa Dei essentia: & gloria suam alii non dat Deus, propter justitiam suam.

X XVI.

Torò miracula alia dicuntur positiva, alia privativa.

X XVII.

Positiva sunt, quum efficitur novum quiddam: ut, quum *a* conversione ex uno positivo fit aliud, sive permanens sive cessans: ita nempe, ut alterum actu pereat, non tamen, ut dictum est, in nihilum redigatur: vel quum res *b* procreantur aut *c* multiplicantur:

cauntur: aut d' $\pi\mu\epsilon\varphi$ φύσιν mutatur in aliud $\pi\mu\epsilon\varphi$ φύσιν positivum, sine ullis adminiculis creatis.

- a Exod. 4. v. 3. cap. 7. v. 23. Joh. 2. v. 8. 9. 10. 11. b Matth. 1. v. 18. Exod. 16. 16. cap. 17.
6. Matth. 14. 20. c Genes. 7. v. 18. 19. 20. d Genes. 21. v. 1. 2. Matth. 9. v. 22. 27.
29. 30. Joh. 9. v. 9.

XXVIII.

Privativa sunt, quum a effectus aliquis naturalis inhibetur, aut b in parte aliqua naturæ, vel creatarum rerum specie sit destructio.

- a Jofua 3. v. 16. 17. cap. 10. v. 13. 2. Reg. 6. v. 6 & 18. Exod. 14. v. 21. 22. 2. Reg. 20. v. 10.
21. Daniel. 3. v. 24. 25. 26. b Genes. 7. v. 21. 22. 23. Exod. 12. v. 24. 2. Reg. 19. v. 35.

XXIX.

Hæc de prima Gubernationis divisione: Secundò Gubernatio est vel communis omnium creaturarum; vel certarum propria.

XXX.

Communis est, quâ Deus quamlibet creaturam gubernat respectu substantiæ & accidentium ipsius: Psal. 140. v. 1. &c. Att. 17. v. 25. & 28. Ephes. 1. v. 11. Rom. 11. v. 36. argumento dicti Matth. 10. v. 29. 30. 31.

XXXI.

Certarum propria Gubernatio est, vel non-intelligentium; vel intelligentium.

XXXII.

Non-intelligentium Gubernatio est, primò inanimatarum, dein de animatarum.

XXXIII.

Quæ sunt inanimatæ seu vitæ expertes, iis non est opus, nisi suæ essentiæ conservatione. Quæ animatæ sunt, si habent vitam sine sensu, opus est eis incremento usque ad staturæ convenientis complementum; nutrimento item ad vitam alendam, & (si sint perfectiores) ad propagationem speciei. Quæ insuper etiâ sensu supra vitam valent, (si sint perfectiora) requirunt, præter dicta, etiam motum è loco in locum, & post vigilias quietem seu somnum, quo vigiliis deperditas vires instaurent.

XXXIV.

Creaturarum intelligentium Gubernatio, ut angelorum & hominum, fit universè, vel sigillatim.

XXXV.

Universè, docendo; aut id, quod docuit, implendo. Hic in genere de iis docemus, quæ in sequentibus disputationibus, ubi specialiter de hominum institu-

tione agitur, planiora erunt: infra etiam in hac, ubi de Angelis in specie docebitur, ali-
quantum illa declarabuntur.

XXXVI.

Quicquid Deus docet angelos aut homines, aut est indefinitum
aut definitum. Omnia quidem, quæ Deus docet, definit, atque ita definitè docet,
quia sententiis affirmantibus aut negantibus docet. Sed hic aliquid indefinitum do-
cere dicitur, quum non definit aliquid de nostra voluntate, quomodo ea informandas;
aut de sua, qualis ea in nos sit futura, beneficiale an judicialis. Definitum aliquid au-
tem docere dicimus, quum contrà facit; ostendendo, quid à nobis fieri vel non fieri
velit, quidq; beneficii vel judicii exercere velit ipse.

XXXVII.

Scriptura agit de modo docendi homines. Est enim ea nostrâ causâ scripta. In-
terim hic attingimus, quantum ex natura & scriptura de modo docendi angelos con-
cludere possumus.

XXXVIII.

Indefinitum aliquid docet Deus duobus modis, narrando & con-
cedendo.

XXXIX.

Narrando iterum bifariam, nudè vel præmonendo.

XL.

Nudè, quum exponit tantum, quid sit vel non sit, esse possit vel
non possit; non verò definit seu ostendit, quid facere adhuc ipse velit vel nolit, vel ab
aliis fieri velit vel nolit, ut: quum Deus docet angelos aut homines de rebus actu ex-
sistentibus aut possibilibus, veluti de creaturarum generibus, similibusve sciendis.
Hoc ita se habere, ut Deus narrat, angelus & homo credere debet.

XLI.

Præmonendo, quum docet, quid ipsis agere vel intermittere licet:
ut quum docet Deus angelos aut homines de ipsorum mutabilitate, deq; sua libertate
in eis vel stabiliendis vel non stabiliendis. Hinc in illis excitari deberet prudentia, ne in-
cautè agant, Dei jus contrahendo, & suum dilatando: & humilitas, quâ à Deo conser-
vationem sui petant. Atque hinc appetit ex consequenti hanc præmonitionem inclu-
dere legislationem quandam: de qua infr. thes. 45.

XLII.

Concedendo verò, Deus indefinitum quid docet, quum ostendit se
aliquid permettere creaturæ arbitrio: hoc est, nec mandare nec vetare; quum
nimis significat, quid liberum angelis vel hominibus sit futurum, quod ab illis aut
sine vitio fieri, aut sine vitio omitti possit, modò fiat debito modo: ut quum nec ad cer-
tum locum, nec ad certum motum aut quietem asstringuntur, sed hic aut illuc, hoc vel
illud naturale agere eis licet. Concessionem ad modos docendi referimus, ut notet ali-
quid medium inter præceptionem & interdictionem. Permissionem autem, de qua
thes. 54.

theſſ. 4. modis implendi aſcribimus. Eſt alioquin permissionis vox ambigua, ut ſigni-
ficer, & aetum volentis aliquid eſſe alicui liberum, & aetum non-impedientis, quum
poſter impedire. Cæterum ab hac confeſſione debet eſſe judicium, quo res medie pro
mediis habeantur, & cum neceſſariis praestitu non confundantur.

XLIII.

Definitum aliquid docendi modus eſt, quum oſtendit Deus, quid
fieri vel facere velit: vel contraria, quid non.

XLIV.

Eſtque; primò purus, id eſt, ſine coditione, vel conditionalis. Hic modus de-
finiuit docendi, in genere dividi debet in purum, qui eſt ſine conditione; & conditiona-
lem: ſeu in categoricum & hypotheticum. Nam non tantum conditionales ſunt pro-
missiones & comminationes, ſed etiam præceptiones & interdictiones; ut eſt condi-
tionalē præceptum Dei ad Abrahamum, Genef. 22. v. 2. & 3. ut offerat filium ſuum in
holocaustum, niſi ſcilicet ante actum completem ab iſtituto revocetur: ſic præcepit
Ezechieli, Ezech. 4. v. 15. ut placenta pararet ad orbes excrementi humani, niſi ſcilicet
deprecadendo, aliud obtineret, ut obtinuit egeſta boum. Hec autem conditio tantum lo-
quuntur habet in iis rebus, quæ quum mandantur aut vetantur, taliter mandantur aut ve-
tantur, non ex aliqua neceſſitate naturæ divinæ, atq; ita per ſe ſunt nec bonæ nec malæ,
ſed medi generis. Nam præcepta de non habendis diis alienis; de non abutendo no-
mine divino; de non adulterando; de non ſcorando; de non dicendo falſum testimo-
nium contra proximum, nullam admittunt conditionem. Quia enim Deus eſt fan-
etus & justus, nunquam potest contraria ſanctitati jubere.

XLV.

Secundò, definitum aliquid docendi modus eſt legislatio aut sanctio.

XLVI.

Legislatio eſt, quā lex datur de actionibus recte iſtituendis.

XLVII.

Legislatio eſt præceptio & interdictio.

XLVIII.

Præceptio eſt, quā Deus docet facienda: interdictio contraria, quā o-
mittenda. præceptiones quæ conditionales eſſe non poſſunt, ſunt ſemper implendæ,
ſine hac cogitatione, quod interdictio intervenire poſſit: & ſic interdictiones, quæ con-
ditionales eſſe nequeunt, ſemper ſunt vitandæ, ſine cogitatione hac, quaſi per mandan-
tum tolli poſſint. Quæ autem conditionalia eſſe poſſunt, in iis communis lex eſt tan-
diu ſervanda, donec ſpecialis occurrat. Idem judicandum de promiſſionibus & com-
minationibus non-conditionaliſbus; ut quæ purè denunciantur in promiſſione aut
comminatione, purè credantur; quæ cum conditione, eatenus, ſi conditio adſuerit.

XLIX.

Sanctio eſt legislationis confirmatio.

L.

Estq; promissio vel comminatio.

L.I.

Promissio est, quâ docet Deus, quid erga obsequentem legislationi facere velit: comminatio autem, quid contra inobsequentem.

L.II.

Hactenus de modo docendi: Sequitur modus implendi; quo Deus agit, quod agere decrevit. id autem ferè autem solet docere, se facturum esse, sed nou id in omnibus prædictis, ut quum narrat aliquid præmonendo. Sic permisit lapsum Angelorum & hominum, quod se facturum aperte non prædixerat, quantum quidem è scriptura colligi potest. Quum tamen illis per lumen naturæ mutabilitatem ipsorum narraret, & jus tuum eos sibiipsis permittendi, quumq; propterea etiam lege cum ipsis & cotminatione ageret, ostendebat fieri posse, ut ex sancto & felici statu excederent. Autem dixit: Si homo de arbore verita fructum ederet, futurum esse, ut moretur.

L.III.

Implet autem dicta permissione, aut impletione sanctionis. Modum implendi docemus esse duplicum: impletionem præmonitionis & sanctionis. Nam narratio nuda est de rebus, quas Deus commemorat, jam esse aut fuisse, vel non esse, aut non fuisse, vel esse posse aut non posse; ideoq; huic modus implendi nullus respondere potest. Nam ex res sunt tales, ut vel causam sui nullam habere possint, ut Deus ipse autor modorum docendi aut implendi; aut sunt decreta, quæ facta sunt, non fiunt: aut sunt res præteritæ in tempore, quæ jam impletæ sunt, atque ita exdem numero revocari nequeunt.

L.IV.

Permissio est modus implendi præmonitionem, quum nempe Deus, quod impedire poterat, non impedit. *Esa.2.v.6. Psal.81.v.13. Act.14.v.15. Rom.1.v.26.* Hinc facile fit, ut creatura intelligens, in officiis sui consideratione remissa existat, erret & peccet.

L.V.

Impletio sanctionis est, quum facit id, quo legem confirmaverat.

L.VI.

Estque beneficentia, vel afflictio. Beneficentia est, quâ promissionem: afflictio contraria, quâ comminationem implet: Ab illa beneficium, ab hac judicium dicitur. Beneficentiâ augetur salus data in creatione; afflictione tollitur.

L.VII.

Vidimus de communi intelligentium creaturarum Gubernatione: Sequitur certarum propria, videlicet Angelorum; quæ est, quâ Deus regit

regit eos naturæ ipsorum convenienter. hoc est, quia tantum Spiritus sunt,
tantum spiritualiter.

LVIII.

Hæc Gubernatio est, quod essentiam eorum in suo loco, qui est ordinariè cælum supremum, conservat: & eos, quod scire ipsorum interest, docet: & circa eos, quæ vult, implet.

LIX.

Docet eos, scienda narrando, res medias permittendo, eos de mutabilitate præmonendo; dotibus concessis, ut rectè utantur, præcipiendo, fugienda interdicendo: obedientibus autem beneficia promittendo, peccatas in obedientibus comminando. Hic modus, et si non sit apertis quidem verbis in scriptura propositus, facile tamen colligitur ex impletione, quæ quidam Angeli lapsi sunt permitti & puniti; alii vero in integritate sua persistenter & in gratia sunt confirmati.

LX.

Implevit autem Deus præmonitionem circa Angelos, quum permisit eos in sua libertate. Hinc evénit, ut quidam lapsi dotes suas perdiderint: quosdam tamen, nempe electos, singulari respexit gratiâ; ut eorum mutabilitas, quæ labi poterat, in actum nona educeretur: ista autem gratia est Patris, Filii & Spiritus sancti, ut creatoris. Quum enim boni Angeli adversus lapsum sint præservati, Mediatore eis opus non fuit. Scitè S. Bernhardus Serm. 22. in cantic. canticorum dicit; *Qui erexit hominem lapsum, dedit Angelo stanti ne laberetur; sic illum de captivitate eruens, sicut hunc à captivitate defendens.*

F I N I S.



A D D N. JO ANN E M G A U L I U M
C O N T E R R A N E U M A C A M I C U M S U M
exoptatum, de Gubernatione dis-
putantem.

J O A N N E S G A U L I U S R.

Per anagramma.

U N I U S S A N E G L O R I A .

Q uicquid in hoc orbis spectatur ubiq; theatro,
Temperat omne unus, qui dedit esse, Deus.

Nempe hoc disquiris vigili sudore, J O A N N E S ,

Solers concinnis his thematisq; doces,

Nassovia in lucem qua das rimanda Palestra:

Plura ut cognoscas, laude rebasq; Deum.

Res bene succedet: Doctis themata ipsa probantur,

Et, contra instantum tela, probata manent.

Ergo agè magnanimus, præsens certamen inito,

Victor eris; votis & potiere tuis.

Sic S A N E evades tu doctior; auctior inde

U N I U S evadet G L O R I A sicq; Dei:

U N I U S S A N E tantumq; hinc augmen habebit

G L O R I A (quærenda ut quæ venit una) D E L

Amoris ergò

Martinus Buhelius, Solitariensis £.



er. hoc est, quia tantum Spiritus sunt,

am eorum in suo loco, qui est or-
cos, quod scire ipsorum inter-
et.

edias permittendo, eos de muta-
s, ut recte utantur, præcipiendo,
uictiora beneficia promittendo,
hic modus, et si non sit apertis quidem
igitur ex impletione, quâ quidam An-
tegritate sua perfiterunt & in gratia

nem circa Angelos, quum per-
quidam lapsi dotes suas perdiderint:
exit gratiâ; ut eorum mutabilitas, quâ
item gratia est Patris, Filii & Spiritus
versus lapsum sint præservati, Media-
m. 22. in cantic. canticorum dicit; Qui
beretur, sic illum de captivitate eruens,

I. S.

